UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 568. Ioannis Pap. Annus 9. Ivstini Ivn. Imp. Annus 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

IESV CHRISTI
Annus 568.

IOANNIS PAP. Annus 9. IVSTINI IVN. IMP. Annus 3.

I. LONGOBARDI INFLVVNT IN ITALIAM.

QVingenteſimus ſexageſimus octauus Domini annus adeſt, Indictionis primæ, qui & Conſulatu ſecundo Iuſtini Imperatoris in aliquibus (vt dicetur) monumentis notatus habetur: quo Alboinus Rex Longobardorum è Pannonia, quam occuparat, & ad quadraginta duorum annorum ſpatia illic manſerat, cum ſuis ex Scandauia inſula iam ante progreſſus, in Italiam magnis potens viribus ingreditur.

II. a Paul. diac. de Geſt. Longob. lib. 2. c. 6. b Greg. lib. 4. epiſt. 34. DE TEMPORE ADVENTVS LONG. IN ITALIAM.

Quod autem aliqui anno ſuperiori id factum volunt, temporis ratio exactius eſt exploranda, licet enim Paulo diacono a id teſtanti de prima Indictione & anno præ cæteris fides præſtanda eſſet; eius adhuc ſententiam S. Gregorij Papæ aſſertione fulcire in promptu eſt: in epiſtola b enim ad Conſtantiam Auguſtam data ſub Indictione decima tertia poſt menſem Iunium (qui eſt annus Domini quingenteſimus nonageſimus quintus) cum numeret annos viginti ſeptem ab aduentu Longobardorum: vtique ab hoc anno eum oportuit numerare cœpiſſe. Rurſum vero cum in epiſtola ad Phocam Imperatorem data ſub ſexta Indictione (qui eſt annus Domini ſexcenteſimus tertius) numeret annos triginta quinque à Longobardorum incurſionibus: vtique etiam affirmare neceſſe eſt, ab hoc ipſo anno numerum deduxiſſe, ait enim ſcribens ad Conſtantiam, ſiue potius dixeris Conſtantinam: *Viginti iam & ſeptem annos ducimus, quod in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus.* quæ verba cum nequaquam intelligi poſſint, ex quo Longobardi Romam venerunt, vtique de tempore inuaſæ ab eis Italiæ accipienda erunt, ſicuti & cum hæc ſcribit ad Phocam Imperatorem c: *Qualiter enim quotidianis & quantis Longobardorum incurſionibus ecce iam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis ſupplere vocibus ſuggeſtionis valemus.* hæc quod ad annum Longobardorum in Italiam aduentus, ſed & diem pariter ſignant, vbi id factum hoc anno, quarto Nonas Aprilis, alij ipſis Kalendis eiuſdem tradunt.

c Greg. lib. 11. epiſt. 43.

III. Grego. Turo. hiſt. Franc. lib. 4. c. 35. CVM LONGOBARDIS ALII BARBARI. d Paul. diac. lib. 2. c. 12.

Quod autem ad ipſum Regem ſpectat, cum eſſet Francis amicitia & affinitate coniunctus, magis reddebatur Romanis timendus: ipſe enim (vt Gregorius auctor eſt) Chlothoſindam Clotarij filiam in vxorem duxit: ſicque non tantum Regis potentiſſimi effectus eſt gener, ſed & quatuor Francorum Regum cognatus. His addebatur, quod & Hunnis fœdere erat iunctus, quibus Pannoniam libere poſſidendam precario conceſſit. Accedebat ad tanta hæc, quod & alios complures barbaros nactus eſt auxiliares, nempe Saxones, & præter hos alias nationes, quarum vel ſingulæ negotium faceſſere Romano Imperio potuerunt: quænam hæ fuerint, audi Paulum diaconū d: *Certum eſt autem* (inquit) *Alboinum tunc multos ſecum ex diuerſis gentibus, quas vel alij Reges, vel ipſe ceperat, ad Italiam adduxiſſe. Vnde in hodiernum vſque diem populos in his, quos habitant vicos, Gepidas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, & aliis huiuſcemodi nominibus appellamus.* hæc Paulus.

IV. LONGOBARDORVM PESSIMI MORES. e Procop. de bello Goth. lib. 3.

Sed & quod magis exterruerit animos audientium, vel ſolum nomen Longobardorum, memoria rurſum repete quæ ex Procopio ſuperius dicta ſunt; qui res belli Gothici tractans, expertam iam fuiſſe Italiam tradit, quā feræ beſtiæ eſſent & truculentæ, quamque turpiſſimæ, cum Narſeti, qui aliquot ex ipſis vocauerat contra Gothos, neceſſarium fuerit eos muneribus donatos, quam citiſſime ad propria dimiſiſſe, quod intolerabilis eſſet eorum in Italia commoratio, amicorum cuncta præda, incendiis, & libidinum putore miſcentium. Sed iterum accipe verba Procopii ita dicentis e: *Illa namque*, Longobardi videlicet, *ad cæteram vitæ factorumque impietatem & ſcelus, vel ædificia ipſa, in quæ forte diuerterant, iniuſte cremabant, ſtuprumque fœminis & vim inferebant ſacras in ædes refugientibus: vnde magna pecunia hos primum donatos ad proprios redire penates permiſit, &c.* Si tanta hæc Romanis militantes, aduerſus eoſdem ſcelera immania perpetrabant: quid putandum eoſdem iam hoſtes, in Romanum ſolum cū irrumperent, peracturos? cum præſertim nullus eſſet, qui illis arma obiiciendo reſiſteret: licet enim Hexarchus in Italiam ab Imperatore miſſus Longinus defendere à barbaris eam (quantum fas eſſet) conaretur; tamen quod valde debilis viribus eſſet, occurrendi, & cum eiſdem in campo collatis ſignis pugnandi, nulla penitus illi facultas. Quales autem fuerint in Italiam Longobardorum progreſſus, ſcire ſi cupis, eos conſule, qui eo argumento commentarios conſcripſere: nobis ſatis ad inſtitutum, hæc quo potiſſimum anno agi ſint cœpta, in medium afferre, his & alia pro ratione temporis addituri, quæ ad rerum Eccleſiaſticarum ſtatum ſpectare noſcentur.

V. ALBOINVS REX LONGOB. MITIS VIDERI CVPIT. f Paul. diac. lib. 2. c. 15.

Illud autem minime prætermittimus, ipſum Alboinum Regem ad conciliandos ſibi Italorum animos benignum ſe præbuiſſe, depoſuiſſeque pauendam illam cunctis Longobardis innatam ſæuitiam: teſtatur ſiquidem Paulus f diaconus, eidem in Italiam ingredienti occurriſſe Felicem Eccleſiæ Taruiſanæ Epiſcopum, ab eoque ſuæ Eccleſiæ petiiſſe immunitatem, ne ſcilicet ab hoſtibus detrimentum aliquod pateretur; accepiſſeque ab eodem, quæ poſtulaſſet, ait enim: *Igitur Alboinus cum ad fluuium Plauem perueniſſet, ibi ei Felix Epiſcopus Taruiſanæ Eccleſiæ occurrit: eique, vt erat largiſſimus, omnes Eccleſiæ ſuæ facultate poſtulanti conceſſit, & per ſuum pragmaticum poſtulata firmauit.*

VI. DE FELICE EPISC. TARVISANO. g Venan. Fort. in Vit. S. Mar. lib. 4. in fi.

Hæc narrans Paulus de Felice, hunc illum tradit eſſe Felicem pernéceſſarium Venantii Fortunati, cuius meminit in Vita S. Martini his verſibus g:

Illuſtrem ſocium Felicem, quæſo, require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.

Sed quid ſit, quod ait: *Cui mecum lumen, &c.* declarat inferius idem ipſe, dum ad finem Vitæ S. Martini, quam heroico carmine cecinit, de ſeipſo teſtatur, laborantem oculis, oleo lampadis ad imaginem S. Martini incenſæ eſſe ſanatum, quorum nos iam meminimus. Sed audi iterum ipſum rem tantam his verſibus deſcribentem:

OLEO LAMPADIS CVRATVS OCVLIS FORTVNATVS.

Expete Martini loculum, quo iure ſacelli
Iam deſperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, ſaltem rogo verba repende.
Eſt vbi baſilicæ culmen Pauli atque Ioannis,
*Hic paries * tenet Sancti ſub imagine formam,*
Amplectenda ipſo dulci pictura colore.
*Sub pedibus iuſti paries habet arcte * feneſtram:*
Lychnus adeſt, cuius vitrea natat ignis in vrna.
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce feneſtra,
Quo procul vt tetigi benedicto lumen oliuo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicus blando fugat vnguine morbos.

* aut

iſta & alia Fortunatus: qui accepti diuinitus beneficij memor, pro gratiarum actione res geſtas S. Martini quatuor libris concinuiſſe voluit. Sed de his alia occaſione ſuperius. hic vero ob Paulum diaconū repetenda putauimus, qui eiuſdem Fortunati natale ſolum deſcribit his verbis:

VII.

Sane quia huius Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca de venerabili & ſapientiſſimo viro Fortunato contexere, qui hunc Felicem aſſerit ſibi ſocium fuiſſe. Hic itaque Fortunatus ortus quidem in loco, qui Duplabilis dicitur, fuit: qui locus haud longe à Cenetenſi caſtro vel Taruiſana diſtat ciuitate: ſed tamen Rauennæ nutritus & doctus in arte Grammatica, Rhetorica, & Geometria clariſſimus extitit. Is cum oculorum dolorem vehementiſſimum pateretur, ſimiliter & Felix præfatus ſocius eius eorundem dolore laboraret, &c. curationem eorum recenſet ipſius Fortunati verſibus recitatam; de quo & iſta ſubdit:

VIII. PEREGRINATIO FORTVNATI.

Fortunatus in tantum B. Martinum veneratus eſt, vt relicta patria, paulo antequam Longobardi Italiam inuaderent, ipſius ſanctiſſimas reliquias in Gallia ſitas viſitare decreuerit: quod iter ſuum per flumina, montes, valles, oppida, pagos ipſe in carminibus ſuis dilucide deſcribit in præfatione ad Gregorium. Qui poſtquam Turonos iuxta votum proprium peruenit, Pictauis

[illegible] *habitaui, & multorum iiſdem Sanctorum geſta verſu proſaico, partim metrica oratione conſcripſit, nonnullaque in* [illegible] *primum presbyter, deinde Epiſcopus ordinatus eſt, atque in eodem loco digno* [illegible] *honore quieſcit.* ſubdit de eo: atq; hæc ad finem: *Ad cuius tumulum lucubrationibus,* [illegible] *epitaphium rogatus* [illegible] *ab Abbate conteſtas.* huc vſq; Paulus diaconus de Fortunato, non aliunde, quam ex ipſius ſcriptis elicita. Sed quæ huius anni rerum geſtarum reliqua eſſe putantur, iam proſequamur.

IX. Longino (vt vidimus) ab Imperatore in Italiam miſſo, ceſſiſſe Narſetem à præfectura, atque pariter vitæ finem impoſuiſſe, ſunt, qui teſtentur. Verum quid actum ſit de eodem Narſete in Italia Duce, haud leuis ſuborta eſt controuerſia, quam necdum ab aliquo inuenimus eſſe ſolutam, ſed nec etiam pertractatam. De eo autem quid primum Latini tradant, audiamus. Paulus *a* diaconus, Anaſtaſij & alij eos ſecuti teſtantur eundem cum Ioanne Pontifice Romam reuerſum, facti admiſſi pœnitentem, Romæ extremum diem clauſiſſe, corpusq; eius loculo plumbeo collocatum vnà cum ipſius theſauris Conſtantinopolim eſſe translatum; hæc, inquam, Latini habent. Sed longe diſcrepant ab his Græci, dum aſſerunt, eum Conſtantinopolim eſſe reuerſum, & poſt multum ſumptuoſa ædificia erexiſſe. Cedrenus enim hæc habet anno ſexto Iuſtini Imperatoris: *Narſes chariſſimus Imperatori domum, Narſetis dictam, conſtruxit, & Catharorum monaſterium.* ſed & Miſcella hæc in Tiberio: *Narſes quoque Patricius Italiæ cum multis theſauris ab Italia ad ſupra memoratam vrbem,* Conſtantinopolim videlicet, *adduxit, & ibi in domo ſua ciſternam effodit magnam, in qua multa millia centenariorum auri argentique depoſuit, interfectiſque omnibus conſciis, vni tantummodo ſeni, hæc pro iuramento ab eo exigens, commendauit, &c.* ex quibus intelligas plures poſt hos annos oportuiſſe eundem Narſetem fuiſſe ſuperſtitem.

X. Quibusnam autem alterutrorum maior ſit in tanta ſcriptorum diuerſitate præſtanda fides, æqua ſunt cunctis expendenda ſtatera. Certe quidem inclinari lancem pondere veritatis in Græcorum ſententiam, quæ ſuperius recitata ſunt ex Corippo ſui temporis ſcriptore, declarant; quibus demonſtratum eſt, ante annum Narſetem rediiſſe Conſtantinopolim, illicq; mirifice cultum, nec amplius in Italiam, miſſo illuc Longino, eſſe reuerſum. Quæ vero hac de re ſcripta ſunt à Latinis, leuitate ruſſa, & inſtar fumi in aëra euaneſcere; præter ea, quæ dictaſunt, plura alia perſuadent. Primo quidem periclitari fides Latinorum videtur, dum dicunt, ſtatim vt reuerſus eſt Narſes in Vrbem, mortuum eſſe. Etenim ſi Anaſtaſius habet eodem tempore contigiſſe mortem Ioannem Pontificem, quo Narſes extinctus eſt; cum conſtet de Ioanne adhuc poſt annos quatuor fuiſſe ſuperſtitem, totidem anni vitæ Narſeti tribuendi erunt. Id magis patebit ex litteris Ioannis Papæ, ſi agere ex illis velis, in quibus mentio eſt Conſulatus Narſetis cum Iuſtino ſextum Conſule, quem hoc anno ſecundum Conſulatum geſſiſſe, ex his, quæ proxime dicentur, apparet.

XI. Sed nec illud aſſeri quidem vel conjectura exiſtimari poteſt, quod aiunt, poſt tam immane facinus Narſetis, quo Italiam barbaris prodidit, cum iuſtiſſimam Imperatoris iram commeruiſſet, eius tamen corpus (vbi ipſe defunctus eſt) cum honore eſſe translatum Conſtantinopolim, quod quidē ſi fuiſſet ſepultum, exhumandum illud & proiiciendum foras, magnitudo ſceleris poſtulaſſet. Sic ergo ſiue viuens Conſtantinopolim rediiſſe, ſiue poſt mortem eius cadauer translatum dixeris Conſtantinopolim, vtrumq; (quodcumq; fuerit) eumdem ab Italiæ proditionis crimine reddit immunem: vt plane tela illa, in qua tot tantaque mala ab eo ordita feruntur, contexta appareat in mendaciorum textrina. Quonam pacto rogo, totius Italiæ fax, tantæ auctor proditionis, poſtquam defunctus eſt, tanto honore dignus eſt habitus, vt ſi non ipſe, cineres ipſius ſaltem velut quodam triumpho euehendæ fuerint Conſtantinopolim, cum iure meritoq; ſi qua illius ſiue lapide, ſiue ære extaret inciſa memoria, fuiſſet more maiorum penitus abolenda? Græcis igitur hac in re maiorem putarem fidem adhibendam, cum præſertim iidem & Latinum huius temporis ſcriptorem aſtipulatorem habeant Gregorium Turonenſem *b*, qui ea cuncta de theſauro abſcondito tradita à Græcis narrat.

b *Greg. Turo. l. 5. c. 19.*

XII. *a* Verum & Græcorum in eo fides vacillat, dum quem omnes prædicant religione maxime pium, operibusque probe factis Deo gratiſſimum, ipſi eundem auarum atque crudelem fuiſſe tradunt, cui non ſatis fuerit adeo ingentem pecuniam congregaſſe, ſed & inſontium immani cæde eandem ſanguine madidam nullius profuturam vtilitati in loco abdito collocaſſe: de quo portentoſo facinore dicturi ſumus inferius in Tiberio Auguſto opportuniori loco. Porro laudatum vidimus Narſetem à Procopio, eumque ob inſignem pietatem de Gothis plenam meruiſſe, deſperatis iam plane rebus, victoriam, id ipſum teſtante Euagrio *c*, atque Nicephoro, iſtis repertis verbis *d*: *De Narſete, qui familiariter cum eo vixere, illud perhibent, ita ipſum ex diuino numine pependiſſe, atque idoneis generis pietate coluiſſe, & Virginem eandemque Dei genitricem ita veneratum eſſe, vt illa manifeſto ei apparens, quando prælium committendum eſſet, præciperet; neque illum facile prius in aciem deſcendiſſe, quam tempus opportunum ab ea cognouiſſet. Plures & alias res vincentias Narſes geſſit, &c.* hæc de Narſete Euagrius, itemque Nicephorus, laudauit & ipſum plurimum Agathias *e*. Sed de eodem audi elogium Pauli diaconi *f*: *Erat* (inquit) *vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis baſilicis multum ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, vt plus ſupplicationibus, quam armis bellicis victoriam obtineret.* Certe quidem ſi quid huiuſmodi Narſes poſt adeptam ob victorias tantam gloriam perpetraſſet: ſcribēs poſt hæc res ſui temporis Euagrius parcius ſaltem laudaſſet hominem, quem tam infamis exitus ſugillaſſet; eaq; de ipſo referre, vel ſaltem meminiſſe minime prætermiſiſſet: ſed cum ad Mauritij tempora ſuam hiſtoriam perducat, nec de eius obitu vel minimum quidem loquatur, adhuc fuiſſe ſuperſtitem, haud leuem ſuſpicionem ingerit.

NARSES MIRIFICE LAVDATVS.

c *Euagr. lib. 4. c. 23.*
d *Niceph. lib. 17. c. 13. in fin.*
e *Agath. lib. 1.*
f *Paul. diac. de Geſtis Longob. lib. 2. c. 3.*

XIII. Quod facit, vt in illum reſpiciam virū inſignē eodem nomine nuncupatum Narſetem ſub eodē Imperatore Mauritio domi foriſq; ſpectatū ſumma gloria auctum, eademq; Patriciatus dignitate inſignitum, eidē muneri mancipatum, nempe Romani exercitus præfecturæ, & (quod maius eſt) eadem etiam pietate imbutum: hunc ipſum inquam dum intueor, me ſuſpicio haud leuis pulſat, num hic idem cum ipſo ſit, atq; adhuc ad annos triginta vitam propagarit. Quod ſi quis penitus inficias ierit; tunc neceſſe erit affirmare, duos eodē ferme tempore eiuſdem nominis, ordinis, dignitatis, probitatis, & victoriis inſignitos, bello ſpectatos Duces exercitus vixiſſe Narſetes: quod haud adeo fit veriſimile, cum nulla diſtinctione prior ſenior vel maior, poſterior vero iunior vel minor dictus inueniatur. De eius Narſetis præfectura exercitus, quo vicit Varanem inuaſorem regni Perſarum, reſtituitq; in regnum Coſrhoēm iuniorem ſenioris filium, agitur pluribus in Miſcella *g* ſub anno quarto Mauritij Imperatoris, itemq; de ipſo Zonaras *h*, Cedrenus in Tiberio, Nicephorus *i*, & Conſtantinus *k*; qui & de eius nece ſub Phoca tyranno agunt: ab eodemq; ædificatas Eccleſias SS. Pataleemoni, Probo, Taracho, & Andronico, nec non hoſpitalem domum, Zonaras tradit *l*, dum recenſet viri inſignis pietatis monumenta; quibus ipſum eundem eſſe Narſetem Patricium S. Gregorij Papæ obſeruantiſſimum, ad quem ipſius Pontificis tres extant epiſtolæ *m*, ſuademur.

DE NARSETE PATRICIO ET DVCE SVB MAVRITIO.

g *Miſcell. lib. 17.*
h *Zonar. in Maurit.*
i *Niceph. lib. 18. c. 10.*
k *Conſtantin. in Annal.*
l *Zonar. in Phoca.*
m *Greg. lib. 1. ep. 6. lib. 5. ep. 14. & lib. 9. ep. 27.*

XIV. Si vero hunc ſub Mauritio Imperatore tot inſignibus ſpectatum Narſetem diuerſum ab eo, qui ſub Iuſtiniano Gothos vicit, fuiſſe quis dicat: haud pro his nobis adeo pugnandū erit, cum res tantummodo cōiecturis agatur, & hæc ipſa potius cōſideranda propoſuerimus, quam hi-

ſtorica lege credenda. Ad poſtremum autem de Narſete Italiæ Duce quod refert Paulus diaconus, haud perfunctorie prætereundum eſt. *Hu quoque temporibus (inquit a) Narſes Patricius, cuius ſtudium ad omnia vigilabat, Vitalem Epiſcopum Altinæ ciuitatis, qui ante plurimos ad Francorum regnum, hoc eſt, ad Moguntinenſem ciuitatem confugerat, tandem comprehenſum apud Siciliam exilio damnauit.* hæc ipſe. Porro non tanta ſibi arrogaſſe Narſetem virum pium, vt in Epiſcopos manus iniiceret, quiſque ſciat; niſi cum id iuſſum ipſi fuit pluribus litteris à Pelagio Papa Ioannis huius prædeceſſore, prout quæ recitatæ ſunt ſuperius ipſius Pelagij litteræ facile demonſtrant. Pelagium vero ipſum ad hæc Narſetem excitaſſe conſtat, vt obortum recens ſchiſma ſedarent: quod & iure faciendum eſſe, S. Auguſtinus aduerſus Donatiſtas agens, pluribus comprobauit. Fuiſſe autem tum Altinenſem, tum Aquileienſem Eccleſias temporibus iſtis in ſchiſmate, quæ ſuperius dicta ſunt atque dicentur, oſtendunt.

a Paul. diac. de Geſtis Longobard. lib. 2. c. 4. in fin.

DE VITALI EPISCOPO ALTINENSI IN EXILIVM DEPORTATO.

XV. Sed res Orientales obuias proſequamur. De Sophia Auguſta dignũ Chriſtiana fœmina facinus chronographi b hoc anno recenſent, nempe diſſoluiſſe nomina omnium debitorum: ait enim Cedrenus: *Tertia anno Sophia Auguſta accitis omnibus, qui ære alieno obſtricti erant, debita eorum creditoribus diſſoluit, & pignora ſuis auctoribus,* dominis ſcilicet *reddidit.* eadem in Miſcella. Præceſſerant hæc clamores pauperum à potentibus oppreſſorum: pro quibus cum Imperator ſæpius reſcripſiſſet, ſed nihil profeciſſet, violento tandem intellexit opus eſſe remedio: nempe vt vno ex ſublimioribus magiſtratibus pœnam dante, reliqui diſcerent aduerſus iuſtitiam nihil debere præſumi. Quodnam autem iſtiuſmodi remedium fuerit, Cedrenus exacte rem geſtam narrat his verbis:

b Cedren. anno 3. Iuſtini & Miſcell. auctor.

XVI. IVSTINI AD MAGISTRATVM ORATIO.

Iuſtinus hic cum cerebro ægrotaret, ac vertigine vexaretur, neq; in publicum prodire poſſet: potentes quidam (quia ad Imperatorem querelæ de eis afferri non poſſent) nemini parcentes, omnium facultates diripuerant. Cum vero Imperator aliquando ſe recollegiſſet, atq; in templum prodiiſſet: ij qui iniuria fuerant affecti, miſericordiam ipſius magna voce implorauerunt. Omnibus ergo in curiam vocatis, Iuſtinus: Exiſtimabam, inquit, vos omnes pietatem colere, veſtrisq; contentos, nemini egenorum iniuriam inferre: at vos & Deo & Imperio noſtro aduerſa patratis facinora. Hortor ergo vos, vt pauperibus ſua vitro reddatis: ne veſtra ipſorum bona amittatis. Potentes his auditis, tamen conſuetudine ducti deteriora etiam prioribus adiecerunt. Acris enim res eſt conſuetudo, quæ iam altera natura iudicatur. Itaq; cũ Imperator rurſum ad proceſſum prodiret, plures eum inuocabant. Rurſum igitur in progreſſu conuocato Senatu, dicit: ſi me à Deo putatis Imperatorem factum, eius auxilio imperate: parete iuſſis meis mandatis: iniuria afficere pauperes deſinite: ſolis namq; piſcibus mos eſt; vt validior & maior deuoret minorem. Quod ſi meis præceptis non paretis, ſed in rapiendo veſtris obſequi vultis cupiditatibus, alium vobis veſtro arbitrio deligite Imperatorem. Ego enim contumacibus, iniuſtis, & aliena violantibus imperare nolo.

XVII. PRÆFECTVRA CONCESSA PRO DEFENSIONE OPPRESSORVM.

Ibi quidam procerum, libertate dicendi ſumpta, ita Imperatorem alloquitur: Conſtitue me coram omnibus Præfectum Vrbis, mandaq; ne cuiusquam rationem potiorem iuſtitia habeam, vtq; mihi à te de rebus neceſſariis monituro ſemper aditus pateat: recipio in me, effecturum me intra menſem, ne vlla ſit vel illata in vrbe, vel accepta iniuria. Quod ſi quis proferet culpam, quam mihi indicatam non punierim, capite me plecti iubeto. Pergratum hoc Imperatori fuit, eumq; Præfectum Vrbis conſtituit. Is ergo cum magiſtratum iniret, & quædam vidua quereretur ſe à Magiſtro quodam omnibus ſuis facultatibus ſpoliatam: mittit eam cum ſigillo ad Magiſtrum illum, iubetq; eum ad dicendam cauſam venire.

XVIII. EGREGIVM FACINVS PRÆFECT. VRBIS.

Cum eandem viduam Magiſter verberibus male mulctatam remiſiſſet: mittit Præfectus ad eum de Curſoribus vnum: ſed hunc quoque verbis deluſum dimittit: Interim dum Præfectus in Circo ſedet, Magiſtrumq; opperitur: hic ad conuiuium ab Imp. vocatur. Eodem ſe Præfectus quoq; confert, atq; Imperatori, Si in eo Imp. perſiſtis, quod mihi mandaſti, ne cui eorum, qui pauperes conculcant, parcam: ſcito me promiſſis meis ſatisfacturum. Sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potius habes, & conuiuio adhibes: ſcias me quoque detrectare ea quæ in me recepi. Imperatore vero ſe ridente, vt ſe ipſum potius ſolio detraheret, ſi ſontem talis criminis ſciret: Præfectus illico Magiſtrum vi abripiens, & in curiam, quæ Vrbis dicitur, eum eo abiit. Ibi diligenter vtriusq; ſermone conſiderato; cum haud leuibus iniuriis ab eo affectam mulierem comperiſſet: verberibus impoſitis homini caput raſit, aſinoq; nudum impoſitum per mediam vrbem velut in triumpho duxit, & omnes eius opes mulieri addixit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit, vt vbique ſumma in pace viuerent, atque intra trigeſimum diem neque auditor vllus eſſet, neque reus iniuriarum. Tunc Præfectus Imperatori ſignificat, ſe promiſſa impleuiſſe, & Imperator in publicum progreſſus, cum nulla querela audiretur, reuerſus patricia dignitate eum ornat, & per omnem vitam Præfectum vrbis eſſe iubet. hactenus de his auctor.

XIX. Hoc eodẽ tertio anno Iuſtini Imp. cum Speſindeum Epiſcopus Primas Bizazenæ prouinciæ in Africa de ſuæ Eccleſiæ priuilegiis conſeruandis interpellaſſet Imperatorem, ipſe morem gerens in hunc modum ad eum reſcripſit c:

c Extat in N. ad lib. Autent.

Imperator Iuſtinus Aug. Speſindeum viro beato Archiepiſcopo Vizazenæ prouinciæ.*

* Bizacenæ.

IVSTINVS EMPARAVA VVLT PRIVILEGIA ECCL. BIZACENÆ.

Cum & priuatis hominibus donata priuilegia pietas noſtra conſeruare curauerit: hoc ipſum multo magis & ſanctis Eccleſiis cuſtodiri neceſſarium eſſe putamus. Petiuit enim tua beatitudo per Enaſium reuerendiſſimum diaconum, diuinas regulas atq; priuilegia data ſancto Concilio tuo, vel Eccleſiæ tuæ inuiolata cuſtodiri: Vt ſi quando contra clericos accuſatio præceſſerit, quæ pertinent ad diuinas regulas, non apud iudices ciuiles aut militares cauſæ examinatio procedat, ſed ad tuam beatitudinem, ſicut & pater noſter per diuinos apices conſtituit. Quapropter ſancimus, ſecundum regularum diuinarum tenorem, atq; diſpoſitionem patris noſtri, Epiſcopos, ſiue omnes clericos ſubiectos tuæ beatitudini; ſi accuſentur ab aliquo, ſub tua audientia ſatiſfacere in his, quæ ad regularem ordinem pertinent: quia noſtra pietas hæc ipſa atq; priuilegia data ſancto Concilio tuo prænidet confirmare.

XX. *Super hæc petiſti, vt quando opus fuerit ad noſtram pietatem tuos reſponſales dirigere, nullus eos prohibeat nauigare: quod & nobis placuit, vt nihil neceſſariorum lateat aures noſtras. Vnde licentiam tuæ beatitudini damus, vt quando opus fuerit aut Eccleſiæ tuæ, aut communi prouinciæ ad ſeruitutem noſtram aliquem tranſmittere doctorum cauſis neceſſariis, ſine aliquo impedimento dirigere eum; vt veritatem audientes, quicquid oporteat fieri, ſtatuamus. Alios vero Epiſcopos illius prouinciæ, ſi neceſſaria cauſa emerſerint, ad nos dirigere, aut ad noſtram venire pietatem, cum voluntate Primatis hoc faciant. Hæc ergo tua beatitudo effectui tradere obſeruareq; procuret. Legi. Data Kalend. Maij. Conſtantinopoli. Imperij domini noſtri Iuſtini PP. Aug. ann. III. Conſulatus eiuſdem ſecundo.* hæc quidem ipſe pio digna Imperatore: quibus huius anni rerum geſtarum finem imponimus.

IESV CHRISTI
Annus 569.

IOANNIS PAP. Annus 10. IVSTINI IVN. IMP. Annus 4.

I. QVingenteſimus ac ſexageſimus nonus vertitur annus Domini, ſecundæ Indictionis, itemque quartus Iuſtini Imperatoris: cum Liuba Rex Gothorum in Hiſpania, ipſius regni anno ſecundo prope dilapſo, collegam ſibi allegit fratrem ſuum Lewigildum, cui & ceſſit Hiſpanias, ipſe contentus regno, quo potiebatur in Gallia Narbonenſi. Erat Lewigildo vxor Theodoſia Catholica fœmina, eademq; ſoror ſanctorum Leandri, Fulgentij, Iſidori, ac Florentiæ, filia vero Sueriani Carthaginenſem prouinciam moderantis, ſed nihil ex ſancto conſortio profecit Rex impius Arianiſmi tenaciſſimus. De tempore fidem facit idem S. Iſidorus d in Chronico, dum ait, anno ſecundo Iuſtini Imp. Liuuam * regnare cœpiſſe; & idem addit, eundem ſecundo anno ab adepto principatu aſciuiſſe in regnum ſocium fratrem

d Iſidor. in Chronic.

* Liuba.